

cis mente. Denique alias ob causas Origenis scripta esse damnata patet aliunde, et memorata Concilia nihil erronei habuisse constat ex laudibus, quas D. Hieronymus illis illorumque Præsilibus dedit.

## ARTICULUS II.

AN DEUS IN SUA ENTITATE COMPLECTATUR OMNES PERFECTIONES?

47. *Nota.* Perfectiones, quæ Deo insunt, aliæ sunt plane *divinæ*, h. e., quæ soli Deo conveniunt: aliæ dicuntur *create*, h. e., quæ etiam creaturis communicantur. Creata perfectio vocatur *mixta*, vel *secundum quid*, quæ licet in se bona, habet adjunctam aliquam imperfectionem: *simplex*, vel *simpliciter talis*, quæ quidem nullam involvit imperfectionem, stare tamen nequit cum alia perfectione æquali: *simpliciter simplex*, quam definit S. Ans. in Monol. C. 14. quæ est melior ipsa, quam non ipsa, h. e., quam omnis perfectio cum ipsa impossibilis seu ei non identificabilis; unde ad hanc Theologi requirunt geminam conditionem, nempe ut ratione sui et formaliter non includat aliquid imperfectionis, neque etiam excludat aut excludatur ab alia perfectione æquali vel majore. Potest autem perfectio contineri vel *formaliter*, cum secundum se seu formam ac naturam propriam inest enti; vel *eminenter*, si inest perfectio altioris ordinis, quæ aliam perfectionem producere potest, vel idem præstare, quod illa alia perfectio præstat. Ex quo postremo etiam patet, quid sit *virtualiter* vel *æquivalenter* in altero contineri.

48. *Dico I.* Deus aliquo modo in sua entitate continet omnes omnino perfectiones.

*Prob.* Exod. 33. 19. Deus de se Moysi loquens inquit: *Ostendam omne bonum tibi.* Sed nisi Deus aliqua ratione contineret omnes perfectiones, non esset omne bonum; cum quælibet perfectio sit bonum. S. AUG. enarr. 2<sup>a</sup>. in Ps. 26. n. 8. Deum vocat *Bonum omnis boni*; S. DIONYSIUS autem de div. Nom. c. 5. §. 4. *Deus*, inquit, *non quoquo pacto est ens, sed simpliciter et incircumscripte totum in se esse pariter ambit*; Et DAMASC. L. 1. Orth. Fid. c. 12 (al. 9.) de Deo ait: *Universum id, quod est, tanquam immensum quoddam et infinitum essentie pelagus complexu suo continet.*

*Conf.* Deus est ens a se, hoc autem omniperfectum est; Deus est ens, quo melius cogitari non potest; quod præter Scripturam Ps. 44. 3., ac Eccli. 43. 33., Baruch. 3. 23. id innuentem, recta etiam ratio postulat. Sed tale ens non foret, nisi omnes perfectiones contineret. Demum si aliqua perfectio possibilis non contineretur aliqua ratione in Deo, illa esset possibilis, ut supponitur; et simul non esset possibilis: non enim posset existere a se; quia nihil se ipsum producere valet: neque a Deo; quia Deus nullo modo illam haberet: neque a creatura; quia si Deus illam nullo modo habeat, creatura multo minus habet, cum hæc nihil boni teneat, quod a Deo tanquam a prima omnium causa non acceperit, ad Rom. 11. 17. *Ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Ergo.

49. *Dico II.* Deus perfectiones mixtas continet tantum eminenter, simpliciter simplices formaliter.

*Prob. 1<sup>a</sup>. pars.* Deus perfectiones *mixtas* continet aliquo modo: sed non continet formaliter; quia secundum propriam formam sumptæ adversantur nobiliori perfectioni, et aliquid defectus aut imperfectionis in se continent, ideoque in C. Later IV. (Lab. t. 11. p. 148.) damnatus est ALMARICUS, qui contendebat creaturas omnes de Deo vere ac proprie dici posse; ergo continet eminenter tantum. Dein quidquid in perfectione mixta bonum est, in Deo habetur excellentiori modo; agnoscit id Psaltes canens Ps. 93. 9. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui fixit oculum, non considerat?* Isa. 66. 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus.* Et S. AUG. L. 5. de Trin. c. 1. n. 2. *Sic intelligamus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem.* Demum perfectiones mixtas Deus producit per suam omnipotentiam, et quod illæ non absque defectu præstant, ipse cum singulari excellentia ac sine ulla imperfectione præstat. Ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. pars. 1<sup>o</sup>.* Perfectiones *simpliciter simplices* insunt Deo secundum propriam sui rationem ac formam, et de eo affirmantur sub propria notione et appellatione, ut constat ab inductione perfectionum ejusmodi, quarum aliquæ recensentur Prov. 8. 14. *Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo*; ergo. 2<sup>o</sup>. Ex eo, quod Deus sit ens, quo melius et perfectius cogitari nequit, recte arguitur in illo contineri formaliter perfectiones, quas melius est formaliter habere quam non habere: et nulla in ejusmodi perfectionibus est ratio, vi cujus prohibeantur Deo formaliter inesse. Sed tales perfectiones sunt *simpliciter simplices*: ergo.

50. *Observe.* Deum non tantum omniperfectum, sed et *infinite perfectum* esse, h. e.; omne genus perfectionis in gradu eminentissimo continere, ex iisdem rationibus probatur. Hinc S. HILAR. in Ps. 144. n. 6. *Hæc, inquit, Dei prima et præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum et magnitudinis suæ habeat et laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur.... Finem magnificentia ejus nescit, et aliquam ementiendi se opinionem immensa magnitudo non patitur. Extenta ubique, extenta semper est, hanc habens infinitudinis suæ laudem: cæterum omnem intelligentiam infinite hujus in se qualitatis excedens.* Unde patet, aggregatum ex Deo et creaturis non esse aliquid Deo solo perfectius, quia ratione non minus quam D. AUGUSTINI L. 6. de Trinit. c. 8. testimonio constat, infinitum augeri non posse; præterea vero per additas creaturarum perfectiones aggregatum illud non nisi solo numero, minime vero excellentia crescit; imo etiam ob adjunctos illis defectus excellentiæ aliquid amitteret.

## ARTICULUS III.

QUENAM PERFECTIONES CONSTITUANT ESSENTIAM DEI PHYSICAM?

51. *Nota.* Statum realem seu essentiam physicam Dei hic non posse sumi pro composito ex partibus physicis, sed duntaxat accipi pro complexu perfectionum Deo realiter identificatarum, manifestum est ex hætenus dictis. Potest autem essentia hoc modo spectari vel *philosophice*, si nempe consideratur

prout est a parte rei in se ac independenter a quovis mentis conceptu; quidquid enim alicui realiter identificatur, a Philosophis nomine entitatis physicæ indicatur: vel *theologicæ*, si natura divina præcise sumitur pro Deitate, et prout communicabilis aut communis est tribus Personis; quia hanc usurpationem adhibent Theologi, si de essentia divina ut a personalitatibus quocumque demum modo distincta loquuntur. Ad hanc pertinent perfectiones tum plane divinæ, tum creatæ *simpliciter simplices*, seu absolutæ necessariæ; non item perfectiones *mixtæ*, cum Deo formaliter inesse nequeant; nec etiam prædicata quasi *accidentalia*, esse Creatorem, Salvatorem, etc., saltem secundum actualem denominationem sumpta. Quare præcipua tantum controversia est circa prædicata relativa Dei seu personalitates, quæ communius pro exemplo *perfectionum simplicium* adducuntur.

52. *Dico I.* Essentia Dei physica *philosophice* sumpta stat in cumulo omnium perfectionum necessariarum tam *absolutarum* quam *relativarum*.

*Prob.* Quidquid in Deo est, est Deus juxta commune Theologorum axioma a Patribus acceptum: sed omnes perfectiones necessariæ tum *absolutæ* tum *relativæ* sunt in Deo, et quidem formaliter ac necessario; ergo Deus sunt. Sed quidquid Deus est, constituit essentiam Dei physicam *philosophice* sumptam, cum hæc sit ipsa entitas Dei, ut est in se; ergo.

*Conf.* Deus, prout est in se ac independenter a quovis conceptu, est ens in omni genere perfectionis infinitum, unum secundum naturam, et trinum secundum personalitates: sed ens ejusmodi pro sui constitutivis dicit perfectiones necessarias tam *absolutas* quam *relativas*; ergo.

53. *Dico II.* Essentia Dei physica *theologicæ* accepta stat in cumulo unarum perfectionum *absolutarum*.

*Prob.* Essentia Dei *theologicæ* a Patribus consideratur ut communicabilis vel communicata tribus Personis: sed nulla perfectio relativa seu relatio divina uni Personæ essentialis ac propria communicatur alteri Personæ; et e contrario tamen, quidquid una Persona præter personalitatem habet divinitatis aut perfectionis, etiam alteri communicatur; ergo.

*Conf.* ex C. LATER. IV. c. 2., (Labb. t. 11. p. 143. A.) quod de essentia *theologicæ* sumpta sic definit: *Qualibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest: et illa res non est generans, neque genita, nec procedens.*

54. *Nec dicas cont. 1.* Tota essentia Deitatis est in qualibet Persona, cum secundum diversa Concilia et Patres, quævis Persona sit perfectus, totus ac plenus Deus: sed in quavis Persona non sunt omnes perfectiones *relativæ*; ergo.

*Conf.* 1º. Personalitas humana non est de essentia physica hominis, ut patet in Christo habente totam naturam humanam sine humana subsistentia; ergo nec personalitates divinæ. 2º. Perfectiones *simplices* seu *relativæ* sunt inter se oppositæ ac impossibiles; et æque non continentur formaliter in Deo ac perfectiones *mixtæ*; ergo constituere nequeunt essentiam *physicam* Dei, utpote entis simplicissimi.

R. T. M. Tota essentia Deitatis sumpta secundum realitatem et identifi-

cationem in statu reali est in qualibet Persona N. sumpta secundum communicabilitatem et rationem formalem Deitatis quoad prædicata communia et absoluta C. Sicut essentia, sic etiam totalitas ac plenitudo essentiæ jam *philosophice* jam *theologicæ* spectari potest.

*Ad Conf. 1am.* *Disparitas* est, quia personalitatem humanam naturæ humanæ essentialem non esse, atque hinc ab ea realiter abesse posse, patet ex ipso argumento allato; adeoque recte dicitur, eandem ad essentiam hominis *physicam* non pertinere: contrarium vero sequitur ex eo, quod personalitates divinæ *necessario* insint Deo.

*Ad 2am.* D. A. Perfectiones relativæ sunt oppositæ et impossibiles in ordine ad esse unius Personæ C. in ordine ad esse unius essentiæ naturæ ac substantiæ N. Quomodo autem natura divina possit dici substantia una ac simplicissima, licet sibi habeat identificatas personalitates inter se distinctas, dicitur alibi. Præterea *Disparitas* est, quia ex perfectionibus *mixtis* formaliter contentis sequeretur in Deo imperfectio; cum illæ sunt cum aliis perfectionibus melioribus impossibiles: perfectiones autem *simplices* sunt tantum impossibiles cum alia perfectione æquali; adeoque non inferunt imperfectioem seu defectum perfectionis melioris.

55. *Nec dicas cont. 2.* Essentia Dei etiam *theologicæ* accepta spectatur a parte rei; ergo includit omnes perfectiones. *Conf.* 1º. Deitas est essentialiter una et trina: sed esse trinam constituitur per relationes; ergo essentia Dei essentialiter constituitur per relationes; consequenter easdem includit. 2º. Si una in Deo esset Persona, hæc personalitas esset de essentia Dei physica etiam *theologicæ* spectata; ergo et nunc cum in Deo sint tres Personæ, tres personalitates dicendæ sunt de essentia physica Dei *theologicæ* accepta; præsertim cum essentia sine relationibus his spectata videatur esse imperfecta.

R. D. A. Spectatur a parte rei ut communicabilis tamen et secundum identitatem formalem, Deitati in qualibet Persona convenientem C. ut terminata in singulis Personis et secundum identitatem etiam realem N.

*Ad Conf. 1am.* D. M. Deitas physice et philosophice spectata essentialiter una est et trina C. *theologicæ* sumpta *subd.* est essentialiter, h. e. necessario trina C. est essentialiter, h. e. constitutive, quasi non posset sumi præcise a personalitatibus N.

*Ad 2am.* T. A. Quia, cum natura per personalitatem non constituatur, sed subsistat, essentia physica *theologicæ* accepta sine ea etiam spectari posset. N. *Cons.* *Disparitas* est, quia in *primo* casu, eo quod personalitas non esset perfectio relativa sed absoluta, non haberetur ulla ratio essentiam secundum alias perfectiones absolutas accipiendi, exclusâ personalitate nec realiter nec formaliter tunc distincta: in *secundo*, qui de facto obtinet, personalitates sunt perfectiones relativæ; quæ quia faciunt Personas realiter a se distinctas, quamvis realiter identificentur essentiæ, tamen ab eadem saltem *formaliter* distinguuntur; quod ipsum etiam sufficit ad essentiam Dei *theologicæ*, seu ut præscindentem a personalitatibus, spectandam. Porro essentiam Dei sine relationibus spectatam non esse imperfectam in ratione essentiæ, patet tum *ex dictis*, tum ex eo, quod Pater sit in ratione Dei perfectus, quin tamen ullus dicat Filium esse de essentia constitutiva Patris.

## ARTICULUS IV.

QUENAM PERFECTIO CONSTITUAT ESSENTIAM DEI METAPHYSICAM?

56. *Dico.* Essentia Dei metaphysica consistit in ente a se, sive *Aseititas omnimoda* est differentia Dei specifica.

*Prob.* Exod. 3. Moyses ad Israelitas ire jussus, Deum v. 13. sic alloquitur: *Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis: Deus Patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: quod est nomen ejus? quid dicam eis? Cui Deus respondit 14. Ego sum, qui sum. Ait: sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Unde sic arguo: Essentia Dei metaphysica recte explicatur per illum conceptum, quem Deus ipse tanquam suæ divinitati propriissimum nobis dedit, et per quem primo ab omni non ipso nostra ratione distinguitur; quia, ut S. HILAR. L. 3. de Trin. n. 21. dicit, *Loquendum non aliter de Deo est, quam ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est.* Sed imprimis constat, in his verbis *Ego sum, qui sum, et qui est*, conceptum Divinæ essentiae maxime proprium contineri; quia Moyses tale nomen vel conceptum talem a Deo petebat, quo audito Israelitæ intelligerent, eum non propria vel humana auctoritate, sed Dei nomine tanquam ab eo missum venire: ad hunc vero finem ineptus erat quilibet alius conceptus Deo cum creaturis communis aut non proprius ipsi soli. *Deinde* conceptus illis verbis contentus omnino idem est cum eo, quem nomine *aseitatis* omnimodæ et independentiæ adæquatæ intelligimus; quod sic declaro: *sensus* illorum verborum *ego sum, qui sum* potest triplex cogitari; *primus*, ego sum, qui dependenter ab alio sum vel esse habeo; sed hunc falsum esse, per se patet: *secundus*, ego sum ex suppositione, quod sim; sed hic, quamvis verus, non tamen soli Deo proprius est, cum etiam creaturis conveniat: *tertius*, ego sum, qui mihi met ipsi sufficio ad esse, et independentem ab omni alio habeo esse; atque hic solus uti verissimus est ac soli Deo proprius, sic cum assignato a nobis conceptu manifeste congruit. *Denique* hunc ipsum conceptum esse primum et primo distinctivum Dei, constat ex SS. Patribus, HILAR. qui L. 1. n. 5. de Trin. ad verba Exodi sic ait: *Non enim aliud proprium magis Deo, quam esse, intelligitur; et in Psal. 2. n. 13. Ipse est, qui quod est, non aliunde est: in sese est; secum est; a se est; suus sibi est; ipse sibi omnia est.* S. AMBR. in Psal. 43. n. 19. de verbis Exodi dicit: *Cognoscens mentem ejus Deus, non respondit nomen, sed negotium, hoc est, rem expressit, non appellationem, dicens: Ego sum, qui sum; quia nihil tam proprium Deo, quam semper esse.* S. ARC. in Psal. 134. n. 4. *Non dixit: Dominus Deus ille omnipotens, misericors, justus; quæ si diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari posset et dici Deus, ipsum esse se vocari respondit...* Ita enim ille est, ut in ejus eomparatione ea, quæ facta sunt, non sint. S. HIER. in ep. 57. (al. 15. n. 4.), ad Damasum et in c. 3. Ephes. v. 4. ergo.

*Conf.* Omnimodæ *Aseitatis* conveniunt omnes conditiones ad differentiam specificam requisitæ: 1º. Est prædicatum Dei *constitutivum*; cum quæcumque Dei notio vera ac propria afferatur, quales sunt de ente summo, ente necessario etc., sine *aseitate* intelligi nequeat: et quidem est *primo constitutum*; tum quia sicut ens primo dividitur in ens a se et ab alio, sic etiam

ante omnia alia prædicata ens per *aseitatem* contrahitur et constituitur: tum quia nullum prædicatum prius assignari potest, unde *aseitas* omnimoda et adæquata profluat. 2º. Est prædicatum Dei *distinctivum* ab omni alio ente seu a non Deo formaliter sumpto; quia Deum discernit a creaturis, quæ sunt ab alio tanquam a causa; ab attributis, quæ sunt per emanationem ab alio, nempe ab essentia, tanquam radice vel fundamento; a personalitatibus, quæ omnes iterum pro radice habent Deitatem, et præterea in Filio ac Spiritu Sancto sunt ab alio tanquam a principio et origine. 3º. Est prædicatum, ex quo velut fonte ac radice reliqua omnia, quæ Deo insunt, profluant et deducantur; quia ex *aseitate* sequitur necessitas pure essendi, seu habendi omnes perfectiones possibles per identitatem et essentiam, in qua consistit infinitudo radicalis; ex infinitudine radicali sequitur infinitas formalis *in essendo* seu cumulus omnium perfectionum, ut sunt æternitas, immensitas, bonitas etc.: ex infinitudine in essendo sequitur infinitudo *in operando*, ut ad intra est generatio et spiratio, ad extra libertas, fidelitas, justitia etc. in actu secundo.

57. *Nec dicas* 1º. Si essentiam divinam constituit *esse a se*; ergo Deus formaliter non foret ens essentialiter et necessario existens, sed *potens* duntaxat et *aptum* existere. *Conf.* 1º. Nulla essentia constituitur per suum *modum essendi*; quia hic sequitur ad esse: sed *aseitas* tantum dicit modum essendi in Deo, sicut *abalietas* in creaturis tantum dicit modum essendi creaturarum; ergo. 2º. *Aseititas* nec est prædicatum *positivum* et reale, cum significet negationem dependentiæ; nec est *perfectissimum*, cum plenitudo omnis perfectionis utpote explicite continens tum *aseitatem* tum reliquas perfectiones, videatur esse prædicatum perfectius; ergo constituere nequit essentiam divinam.

R. N. *seq.* Tum quia nomine entis a se, *formaliter* intelligimus ens per suam essentiam existens, seu de cujus essentia est existentia; tum quia existentia in Deo nequit præsupponere prædicatum etiam ratione prius, unde profluere concipiatur; sive enim id dicatur potentia, sive sufficientia, sive necessitas existendi, debet tamen hoc ipsum concipi esse, siquidem quod non est secundum rem neque secundum conceptum, nequidem secundum rationem aliud causare vel emanare potest; adeoque cum esse et existere sit idem, nequit sine existentia aut prius ad existentiam in Deo aliquod prædicatum concipi. In *creaturis* tanquam entibus contingentibus et ab alio existentibus possibilitas tum activa tum passiva prior est quam existentia: in Deo autem, rigore loquendo, neutra possibilitas datur; possibilitas vero intrinseca ipsam existentiam actualem involvit.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>. N. min.* Quia *abalietas*, quamvis sit essentielle constitutum creaturæ quæ talis, et differentia ejusdem specifica a Deo, potest tamen concipi ut modus actionis; cum creatura producat ab alio: *aseitas* vero nequidem ut modus actionis concipi potest, eo quod Deus a se ipso non producat.

*Ad 2<sup>am</sup>. D. A.* *Aseititas* non est prædicatum *positivum* sed negativum secundum dici, seu ratione nominis aut modi explicandi. *T.* secundum esse, seu ratione rei significatæ. *N.* Item *Aseititas* non est prædicatum *perfectissimum* secundum conceptum explicatum, formalem et physicum *C.* sed *N. supp.*, quod in præsentia quæstione, ubi de speciali perfectione tanquam radice reliqua-

rum assignanda agitur, ad conceptum formalem et explicitum attendendum sit. Non est perfectissimum secundum conceptum implicitum, radicalem ac metaphysicum *N.* Sane repugnat prædicatum illud non esse perfectissimum, quod non solum realiter omnem perfectionem sibi identificat, quo sensu nullum Dei prædicatum altero est perfectius, sed quod etiam nostro concipiendi modo est primum radicale principium, ex quo omnes aliæ perfectiones dimanant; unde S. BERN. L. 1. de Consid. c. 6. n. 13. *Non sane occurrit melius, quam qui est... si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quid quid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si et centum talia addas, non recessisti ab esse: si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuisti etc.*

58. *Nec dicas 2º.* Aseitias convenit etiam aliis a Deo realiter vel formaliter distinctis; ergo nequit dici prædicatum Dei distinctivum.

*Prob. A.* Essentiæ rerum dicuntur esse a se: attributa divina formaliter includunt aseitatem: Personæ Divinæ vere sunt Deus, adeoque sunt ens a se: Pater Divinus a Theologis vocatur fons et origo Divinitatis. *Conf. 1º.* Essentia divina, quæ est in Filio, est a Patre tanquam a principio; ergo non est omnimode a se, et saltem communicari habet a Patre. 2º. Aseitias non potest dici imperfectio, cum nulla Deo imperfectio inesse possit: nec etiam perfectio; quia alias, cum attributa et Personæ Divinæ aseitatem non habeant, carerent perfectione; ergo essentiam divinam nec constituere nec distinguere potest.

*R. D. A.* Aseitias adæquata convenit aliis a Deo distinctis *N.* inadæquata *C.* vel *T.* Essentiæ rerum dicuntur a se in genere causæ formalis, quatenus se ipsis formaliter constituunt esse cujuscumque rei, non in genere causæ efficientis. Aseitias vicissim non includit formaliter attributa, proin potest illis prior, eorumque radix et prædicatum ut primo constitutivum, sic et distinctivum esse. Personæ sunt ens a se ratione essentiæ, non ratione personalitatis. Pater vocatur fons et origo divinitatis ad asserendam illi aseitatem quæ excludat principium et causam, non ad asserendam illi aseitatem omnimodam, aut rationem etiam principii vel radicis respectu naturæ divinæ.

*Ad Conf. 1ºm. R. D. A.* Essentia, quæ est in Filio, est a Patre per communicationem necessariam *C.* per veram productionem *N. A.* vel *T. A. N.* *Cons.* Essentia Dei metaphysica formaliter præscindit a communicatione sui et non communicatione tanquam ab attributo, utramque tamen radicaliter emanat, ita quidem, ut, sicut per se ipsam est in Patre non communicata, sic per se ipsam sit communicata in Filio et Spiritu Sancto. Porro cum communicari sit attributum absolutum et essenziale, minime vero relativum et personale; facile constat, illud a Patre habere non posse, sed dimanare a natura, quæ jam supponitur ante paternitatem constituta.

*Ad 2ºm. R. D.* Attributa et Personæ alias in statu reali carerent perfectione *N.* in statu formali *subd.* si spectentur ut distinctæ et ab essentia separata *C.* secus *N.*

59. *Nec dicas 3º.* Esse a se idem est ac esse necessario: sed ex ente necessario non profluunt omnes perfectiones; cum dentur entia necessaria etiam creata et imperfecta; ergo. *Conf. 1º.* Ex aseitate non profluunt gradus

*substantiæ viventis, spiritus etc.*; ergo aseitas non est radix omnium Dei prædicatorum. 2º. Aseitias formaliter importat sufficientiam essendi, seu omne id, quod requiritur ad hoc, ut Deus existat: sed ad hoc non sufficit radix perfectionum, sed requiruntur formaliter omnes perfectiones; ergo.

*R. D. M.* Esse a se idem est ac esse necessario quomodocumque *N.* ac esse necessario omnimode, nempe cum omnimoda sufficientia ad existendum et adæquata independentia ab alio *C.* sed *N.* hujusmodi ens necessarium aut creatum esse posse aut imperfectum.

*Ad Conf. 1ºm. N. A.* Nam gradus *substantiæ* juxta multos formaliter imbitur in aseitate; juxta reliquos immediate fluit ex aseitate, cum recte sequatur: Deus est ens a se, ergo existit per se, seu est *substantia*. Porro gradus *viventis* habetur in intellectu ac voluntate divina, gradus *spiritus* in summa Dei simplicitate, quas esse proprietates divinas, atque ex aseitate divina profluere, per se patet.

*Ad 2ºm. D. M.* Aseitias formaliter importat sufficientiam essendi metaphysicam, seu omne id, quod requiritur ad hoc, ut Deus existat secundum esse metaphysicum *C.* sufficientiam physicam essendi *N.* Has enim perfectiones, quæ ad esse physicum Dei requiruntur, aseitas solum importare debet radicaliter, ne secundum nostrum concipiendi modum essentia Dei physica cum metaphysica confundatur.

## CAPUT II.

### DE ATTRIBUTIS DIVINIS.

#### ARTICULUS I.

##### AN DEUS SIT IMMUTABILIS?

60. *Dico.* Deus est omnino immutabilis. Est contra *Stoicos, Socin., etc.*

*Prob. I. ex SCRIPTURA.* Hæc ob Dei proprietates et naturam ab eo excludit omnem mutationem, quia Malach. 9. 6. dicitur: *Ego Dominus et non mutor.* Sap. 7. 27. *In se permanens omnia innovat.* Num. 23. 19. *Non est Deus ut filius hominis, ut mutetur;* Jacob. 1. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio:* ubi ad immutabilitatis assertæ præstantiam intelligendam juvat observare, a Jacobo Deum vocari *Patrem luminum*, et in græco pro mutatione usurpari *παραλλαγή*, quæ varium solis in Ortu, Meridie et Occasu aspectum significat, et pro obumbratione *ἀποσκίασμα* h. e. umbram solis ex subjectis corporibus; adeo ut *sensus metaphoricus* hic sit: Deus est Pater luminum, a quo omne bonum derivatur; sed non oritur, non occidit, non recedit, nec ei aliquid mutationis et umbræ accidit, dum lucem effundit, seu opera ejus apparent.